

Rever/me in Christo et Ill/me Domine

Harum lator est R/mi Domini Electi Abbatis Salemitani Orator, & doctor utriusque iuris ipsiusque abbatis secretarius. Proficiscitur is Romam ut a Sede Apostolica obtineat praedicti domini Abbatis, 5 tanquam illi Sedi immediate subiecti, confirmationem. Est autem illud ipsum monasterium, cuius causam olim R/ma et Ill/ma V.C. paterne suscepit ac pro virili promovere conasta est, in reformando videlicet et ad communem religiosae vitae normam revocando monasterio sanctimonialium, quod, ex pluribus aliis monasteriis opera et indefesso studio Abbatis demortui suiue conventus reformatis, solum 10 restabat vel potius resistebat (ut in hanc horam restitit) fretum scilicet ac plane obfirmatum quorundam in Urbe patrocinio.

Duo vero potissimum sunt, quae cuperem Rev/mae XX et Ill/mae V.C. quam humiliter commendare. Alterum est ut negotium confirmationis 15 apud S.D.N. pro sua autoritate et divini honoris studio promovere non gravetur: id quod etiam facit suis ad R/um et Ill/mum cardinalem Burghesium datis literis Rev/mus noster Episcopus; neque enim quicquam in illo deesse, quod ad bonum praelati regimen requiritur, norunt ac fatentur non solum ii qui ipsum unanimi consensu, praesentibus et electionem suis calculis approbantibus tribus eiusdem ordinis Cisterciensis Abbatibus, elegerunt, verum etiam alii quibuscum vixit; ut in academia Dilingana, ubi annos aliquot in philosophiae, ac domi in monasterio in theologiae studiis laudabiliter posuit, suoque inculpatae vitae exemplo reliquis praeluxit semper; deinde 20 fuit multo tempore rerum temporalium procurator, quod officium, ut in homine religioso magnam postulat attentionem ut spiritum ac fervorem religionis conservet, ita non parum commendat R/um Dominum Electum, singulari cum dexteritate nec minori aliorum aedificatione munus hoc obiisse.

30 Alterum est quoad primos fructus SS/mo D. Nostro persolvendos. Non credet R/ma et Ill/ma V.C. celsitudo quantum sit monasterium hoc tempo-

/ re gravatum. Nam primo, cum sit status imperii, coactum est hactenus incredibilem summam, durantibus belli motibus, quotannis numerare imperii quaestoribus, praeter ordinarias contributiones, quae ad aliquot millia florenorum excurrunt.

5 Secundo, invalescentibus et in dies augescentibus haereticorum viribus, coacti sunt catholici ordines arctiori sese foedere (quam ligam vocant catholicam) coniungere, modisque omnibus obsistere eorum conatibus. Cum igitur in hoc foedere etiam contineatur monasterium, novis quoque ac propemodum intolerabiles cogitur facere in  
10 omnem belli eventum expensas.

Tertio, et quod potissimum premit, est horrendum annonae non tantum caritas sed etiam penuria, eo quod hibernae superioris anni nives universa agrorum sata destruxerint. Ut autem subsidiorum necessitatibus succurreret optimus p.m.Praelatus, aperuit horrea et tantam  
15 sementis atque alimenti copiam illis suppeditavit ut iam vix supersit quo monasterii familia sufficienter in annum ali possit, nisi nova contrahantur debita.

Ex quibus facile videt R/ma et Ill/ma V.Celsitudo quam merito petat R.D.Abbas aliquam gratiam in remittendis primis fructibus. Audio  
20 similibem liberalitatem fuisse à SS/mo Papa Clemente viij sanctae mem.exhibitam in concessione confirmationis demortui Abbati, consideratis gravaminibus ac necessitatibus quibus [id] temporis monasterium premebatur. Credat mihi R/ma et Ill/ma V.C., duplo maiora sunt ea quae nunc patitur.

25 Atque hae fuerunt causae cur volumus ad R/am et Ill/mam V.C.has perscribere. Floret, de caetero, hoc monasterium disciplinae religiosa atque philosophiae theologiaeque studiis, ipso quoque religiosorum numero, ut ad quadraginta sex sacerdotes censeantur, et quorum plerique etiam antea in academia Dilingana studiis literarum exculti  
30 sunt, excolunturque subinde alii. Accedit demum perpetua monasterii eaque singulatis in collegium nostrum Constansiense (ut de aliis Societatis nostrae collegiis taceam) beneficentia, quae me merito co-



/gunt ad R/am et Ill/am V.C. confugere et supplicare humiliter pro  
promovendo confirmationis negotio. Faciet certe R/ma et Ill/ma EV.C.  
rem in primis Deo gratam et monasterii bono tam temporali quam spi-  
rituali valde salutarem. Et cum hisce me una Rev/ae et Ill/mae V.C.  
5votis omnibus commendo.

Constantiae 7 ianuarii anno 1615.

Rev/mae et Ill/mae V.Celsitudinis

Humilis servus et filius in Christo

Melchior Degenhart Soc/tis Jesu

10 (adresse): R/mo et Ill/mo Domino  
Roberto S.R.E.Cardinali Bellarmino.  
Romam (sigillum)

---

Arch.Vatic.Gesuiti 18 fo.84-85<sup>v</sup>. Orig. autogr.